Beger, Lorenz: Thesaurus Ex Thesauro Palatino Selectus, Sive Gemmarum Et Numismatum Qvae In Electorali Cimeliarchio Continentvr Elegantiorum Aere Expressa, Et Convenienti Commentario Illvstrata Dispositio

[s.l.], 1685 Seite 357

reliquisset, post Probum occisum Imperiale fastigium conscendit, statimque ferocientes *Sarmatas* ita contudit, ut paucissimis diebus Pannonias liberaverit, & adversus hostiles impetus munierit. Inde adversus *Persas* profectus Mesopotamiam subegit, Persidem nullo obsistente vastavit, Cochen & Ctesiphontem Urbes nobilissimas cepit, tandemque cum castrâ super Tigridem posuisset, fatorum invidiâ sublatus est. Ex his Vopisci & Sexti Rufi Numismatum nostrorum interpretationem facilè inveneris. Aurea sunt, in Anticâ ipsius Cari Effigiem exhibent laureatam, cum Titulis *Imperatoris, Cæsaris* & *Augusti*, Nominibus *Marci* & *Aurelii*. Tandem cum elogiis *Pietatis* & *Felicitatis*. Adversa primi adventum Ejus exhibet, per figuram Equestrem, habitu Imperatoris militari, dextrâ protensâ in speciem vel alloquentis Exercitum, vel militaria distribuentis mandata. In Secundo Virtus Augusti cum *invicti* elogio per Herculem Clavâ recumbentem præfiguratur. In Tertio Victoria Bigis vecta Victori Augusto Lauream fert, Pax in Quarto Oleam. Venit Carus *Sarmatarum* impetum fracturus, venit pugnaturus. Herculeâ Virtute invictus pugnavit & vicit, sedecim millia occidit, viginti millia cepit. Vicit & Victoriâ suâ *Pannonias* securitate donavit, quidni & Italiam, quam invasuros se Sarmatæ minati fuerant? Quidni totum Romanum Imperium, cujus hostes, acceptâ *Sarmatarum* clade, ne impetum quidem sustinere, ne dicam, Eum lacessere audebant? Documento sunt *Persæ*. Etiam ad hos venit. Venit Herculeâ Virtute. Venit invictus. Persidem nullo obstante vastavit. Pacem Occidenti reliquit. Etiam Orienti daturum fata intercepêre. Morbo correptus interiit. Orta tempestas Divinæ, ob superatos fatales limites, vindictæ speciem prætulit.

LXXXVII.

M. AVR. CARINUS.

HÆc Numismata qui contemplatur, immeritam egregii Imperatoris laudem si Carino tribuat, vix est ut culpetur. In iis Virtutem jactat, jactat Virtutis præmia Triumphum. Virtutem jactat, cùm tamen scelestâ vitiorum turbâ fuerit inquinatissimus. Virtutem Herculis jactat, quid

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/beger1685/0375
gefördert durch die Gesellschaft der Freunde Universität Heidelberg e.V.